

GEORGII ERNESTI STAHL,  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN. AC FACVLT. MED. DECANI  
PROPEMPTICON INAUGVRALE  
DE  
HISTORIA  
MEDICA PRACTICA.

---

**A**ntiquum illud: *Nil est intellectu, quod non fuerit prius in sensu*, satis certum & notum est. Non modo *a priori*, dum ipsa vocabula, seu notiones, nemo intelligit, nisi per exempla *sensualia* primitus eidem impressa & ostensa sint; sed & *a posteriori*, physica nulla veritas, quod haec illa qualitas, haec illa dispositio, in certo subiecto insit, menti revera persuaderi potest, nisi per *sensuales* circumstantias id edoceatur. Harum sensualium circumstantiarum verus nexus & perennis ordo, uti *scientiam* menti conciliat; ita insufficientis aut incompleta earundem cohaesio, *dubitationi*, & *coniecturis* tantum, locum relinquit. Nemo dubitaverit, quin in omnibus rebus, quas pervestigare & luculenter cognoscere operae pretium sit, simulque occasio, & rei ipsius indoles, id ferat, huic maxime methodo insistendum sit.

MEDICINAE dignitatem & utilitatem quisquis calumniatur, ut sine perito Medico aegrotet, & morbidam vitam degat, dignus est. *Medicina* habet pro subiecto corpus in *Oeconomia* sua *turbatum*; pro obiecto, turbationis illius *cognitionem* & *methodicam* correctionem; pro fine, *restitutionem* ad illum terminum unde excidit.

Nosse itaque haec omnia debet Medicus, & exacte quidem, *certo*, ordine *connexo*, perspecta habere. Et ante omnia quidem, ut finis est illud, ad quod omnia media & totus adeo actus dirigi debet; ita hic etiam statum corporis *sanum* tanquam *terminum* illum, ad quem reducere patientem suum debeat, bene perspectum & cognitum habeat, necesse est. Debet  
novis-